

Quaestiones disputatae (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Quaestio 1: *Utrum intellectus creationis includat emanationem divinarum personarum?* (fol. 95ra)

Quaesitum fuit, utrum intellectus creationis² includat emanationem divinarum personarum? Et arguebatur quod sic, quia impossibile est intelligere effectum emanare a sua causa, nisi intellecta perfecta existentia causae. Sed divina essentia est causa rerum, quae non habet perfecte existere, nisi in tribus suppositis, ergo non potest intelligi ipsam producere suum effectum, nisi intelligatur existentia in tribus suppositis.

Item, quando aliqua potentia ordinatur naturaliter ad aliqua obiecta secundum ordinem se habentia, impossibile est attingere secundum, nisi attingat primum. Sed divina mens naturaliter ordinatur ad intelligibilia omnia inter quae primum intelligibile est ipse. Ergo, non potest intelligere alia, nisi prius se intelligat. Sed hoc intelligere est Verbum producere, secundum Augustinum, ergo etc.

Item, in quolibet genere entium est reperire unum primum, quod est primum et causa omnium, quae sunt in illo genere, *X Metaphysicae*. Exemplum, de unitate et dyesi. Sed emanationum est aliquod genus, ergo oportet, quod aliqua sit prima, quae sit causa et principium omnium emanationum. Unde sic arguit Apostolus,³ flecto genua, etc.

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Quaestiones disputatae q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Vel creatoris

³ Eph 3:14.

Item, secundum Augustinum, *XV De trinitate*,⁴ opera hominis nulla sunt, nisi prius corde dicantur. Sic etiam opera Dei nulla sunt, quae prius non concipiuntur. Sed concipere in mente vel in corde est Filium gignere, ergo etc. Unde, *XIII Confessionum*,⁵ dicitur, omnia quae facis vel dicis Verbo tibi coaeterno dicis, nec aliter quam dicendo facis.

Item, opera trinitatis sunt indivisa. Ea autem, quae sunt sic indivisa, non potest fieri, quod una persona operetur quin omnes operentur. Ergo, Pater non potest operari sine Filio et Spiritu Sancto.

Item, relativa sunt simul natura. Sed unum correlativorum non potest intelligi sine alio, ergo cum Filius sit ars, res [creatae, sicut]⁶ artificatae, non possunt intelligi sine illo, ergo etc.

Item, illud, quod est ratio agendi, non potest non intelligi ab agente antequam intelligat actum vel factum. Sed Filius est ratio agendi omnia opera, ut scribitur in Iohanne,⁷ omnia per ipsum facta sunt. Et idem dicit Augustinus, quod Filius est Verbum Patris, in quo vel quo omnia dicit.

Item, unus artifex non producit, [nisi]⁸ per unam artem. Sed Pater est artifex, ergo producit per artem. Sed talis ars est Filius, ergo etc.

Item, Filius est splendor Patris, ut dicitur, *Ad Hebraeos*.⁹ Sed Pater non producit sine splendore, ergo etc.

Item, amor praesupponit illum cuius est. Sed creaturae procedunt per voluntatem a Deo, cuius voluntatis ratio est amor ad se communicandum. Sed ille amor est Spiritus Sanctus, qui praesupponit illum a quo procedit.

Item, operatio naturalis antecedit voluntariam. Sed generatio Filii est naturalis, ergo praecedit creationem, quae est voluntaria.

Item, omne, quod se nunc habet vel habere potest aliter quam prius, est mutabile. Sed Deus nullo modo est mutabilis, ergo, si modo est se cognoscens vel operans per Filium, non potuit prius aliter se habere.

Item, ille conceptus, quem Deus habet de rebus, vel est aliquid vel est relatio. Sed non est substantia, quia iam conciperet se ipsam. Non ad aliquid, quia ibi non est aliqua relatio, nisi subsistens, quam Filium vel

⁴ Augustinus, *De trinitate* lib. 15, cap. 11.

⁵ Augustinus, *Confessionum libri tredecim* lib. 11, cap. 7.

⁶ Add in marg.

⁷ Io 1:3.

⁸ Add. in marg.

⁹ Hbr 1:3.

Spiritum Sanctum dicimus.

Item, Deus non intelligit nisi unum. Sed Deus Filium aliquando intelligit, ergo, vel ipse est ille, et sic ipse est illud, quod prius intelligitur. Vel oportet dicere, quod non intelligat eum, quod falsum est.

Item,
una est potentia trium. Sed si sic est, non potest Pater operari per illam potentiam quin operetur per potentiam Filii, ex quo una est. Ergo, facit per Filium.

Item, relatio realis est causa relationis per accidens. Sed inter personas divinas est relatio realis, inter Deum vero et creaturam relatio secundum dici, ergo, illa est causa istius.

Contra, quando aliquid per se et primo est sufficiens causa alicuius effectus, potest illum producere absque aliquo alio. Sed essentia divina per se est sufficiens causa ad producendum creaturam, existens tamen in aliquo supposito, ergo etc.

Item, quando aliqua duo ita se habent, quod unum potest intelligi sine alio, intellectus unius non includit intellectus alterius. Sed ista ita se habent, quia multi sunt et fuerunt, qui intellexerunt et intelligunt emanationem creaturarum, nihil intelligendo
<95rb>
de emanatione personarum, ergo etc.

Respondeo, dicendum, quod non intellecto Verbo emanare a Patre ad hoc potest intelligi posse creare et ab eo omnem creaturam emanare, ita quod intellectus iste de se non includit illum. Ad quod clarius intelligendum quinque sunt videnda per ordinem.

Primo, quod in Deo est duplex notitia, scilicet essentialis et notionalis. Secundo, quae et quot sunt necessaria ad hoc, quod aliqua actio fiat ab aliquo agente. Tertio, quaedam positio cum suis rationibus. Quarto, quid sit tenendum de hac quaestione. Et quinto, solutiones argumentorum.

Quantum ad primum, dico, quod in hoc distinguntur in Deo actus¹⁰ notionales ab essentialibus, quod notionales non idem competunt tribus personis, sed uni personae, vel duabus ad plus, quod dico propter spirationem activam in Patre et Filio. Et tales actus per se terminantur ad personam et oriuntur a proprietate unius personae, ut generare. Sed actus essentialis competunt tribus personis indifferenter et terminantur ad essentiam et personam, sicut patet discurrendo per singulos actus, ut velle, intelligere, et scire. Nam quaelibet persona intelligit se ipsam et duas alias, secundum Augustinum et Anselmum.

¹⁰ Scripsit sed del. *esse*

Unde, *XV De trinitate VIII*,¹¹
dicit Augustinus, quod sicut sui et Filii meminit Pater, non memoria Filii,
sed sua, ita Filius sui et Patris meminit, non Patris, sed sua memoria.
Et sic dicit de Spiritu Sancto. Et similiter dicit de intelligentia et
voluntate, quod Filius intelligit se et Patrem et Spiritus Sanctus, non illarum intelligentia,
sed sua intelligit.

Est, igitur, notitia essentialis conceptus
sui ipsius cuiuslibet personae, intelligentis se et omnia alia in se. Dicente
Augustinus, *IX De trinitate in fine*,¹² mens cum se ipsam cognoscit, parens est
notitiae suae, et notitia eius proles est, ac de ipsa verbum eius.
Item, Anselmus, *Monologion 62*,¹³ Pater et Filius et eorum Spiritus Sanctus unusquisque
se ipsum et alios duos dicit sive intelligit. Igitur, cum secundum istos
duos testes et veritatem, quaelibet persona intelligat se et aliam, planum
est, quod quaelibet habet suam notitiam, quae notitia dicitur proles communi nomine,
quae paritur a cognoscente et cognito. Teste eodem Augustinus, *IX De trinitate*,¹⁴
ubi nos ipsos ad nos convertit, ut illa divina melius cognoscamus,
inquit, ex inferiori imagine in qua nobis familiarius
natura ipsa quasi interrogata respondet exercitat<i>orem mentis
aciem ad humana creatura ad lumen incommutabile dirigamus.
Omnis res quam cognoscimus generat in nobis notitiam sui, quae notitia
paritur, a cognoscente et cognito. Et infra¹⁵, id quod nosse
volumus quaerendo et inveniando nascitur proles ipsa notitia,
ac per hoc appetitus, quo concipitur partus que notitia partus et
proles recte dici potest. Talem, ergo, notitiam simplicis intelligentiae
quidam putant posse dici verbum, secundum Augustinum, *IX De trinitate*,¹⁶ qui dicit, quod
verbum est cum amore notitia. Ubi sibi dat instantiam de vitiis
de quibus habemus notitiam cum amore, et respondet sibi,
quod placet notitia et displicet res illius verbi. Unde Anselmus
Monologion 62,¹⁷ nihil aliud est dicere quam cogitando intueri.

Quod

si ita esset, quaestio nostra facile dissolveretur, diceret, et intueretur
et diceretur Verbum non solum personaliter, verum etiam essentialiter, eo quod quaelibet
persona intuetur se, et intelligit se, et dicit se, et habet notitiam de se.

Sed licet haec videantur posse stare, secundum verba Augustini et Anselmi, non
tamen credo, quod possit proprie dici Verbum talis notitia, nisi largo
modo diceretur Verbum. Unde non facio vim de vocabulo. Unde bene
dicit, *IX De trinitate IV*,¹⁸ notitia seu conceptus, quem habet anima de rebus
notis vel adprehensis, dicitur verbum. Sed salva veritate,

¹¹ Augustinus, *De trinitate* lib. 15, cap. 7.

¹² Augustinus, *De trinitate* lib. 9, cap. 12.

¹³ Anselmus Cantuariensis, *Monologion* lib. 1, cap. 62.

¹⁴ Augustinus, *De trinitate* lib. 9, cap. 12.

¹⁵ "nosse uolumus quaerendo et inveniando nascitur proles ipsa notitia, ac per hoc appetitus ille quo concipitur paritur que notitia partus et proles recte dici non potest." Augustinus, *De trinitate* lib. 9, cap. 12.

¹⁶ Augustinus, *De trinitate* lib. 9, cap. 10.

¹⁷ Anselmus Cantuariensis, *Monologion* lib. 1, cap. 63.

¹⁸ Augustinus, *De trinitate* lib. 9, cap. 4.(?)

cum verbum non dicatur absolute, proprie accipiendo verbum, sed relative ad dicentem, non est dicendum, quod verbum dicatur, nisi personaliter, quia nihil absolutum dicitur personaliter. Unde, *VII De trinitate*,¹⁹ dicitur, sicut Filius ad Patrem refertur, et non ad se ipsum, ita et Verbum ad eum cuius est Verbum refertur. Eo quippe Filius est quo Verbum est, et eo Verbum quod Filius.

Sic ergo notitia essentialis est conceptus, quo formaliter quaelibet persona intelligit. Notitia autem notionalis sive personalis plus
<95va>

dicit, quae vocatur Verbum. Nam Verbum videri esse id, quod de tali notitia nascitur, quoniam ipsum est sapientia de sapientia. Unde, *XV De trinitate XII*,²⁰ propter hoc sicut nostra scientia illi scientiae Dei, sic et nostrum verbum, quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi Verbo Dei, quod natum est de Patris essentia. Ac si dicerem 'de Patris²¹ scientia, de Patris sapientia' vel quod est expressius 'de Patre scientia'. Et infra,²² verbum autem nostrum, id quod non habet sonum nec cogitationem soni, sed eius rei quam intus videndo dicimus, ideo nullius linguae est, utcumque simile est in hoc aenigmate illi Verbo Dei quod etiam Deus est quoniam sicut et hoc de nostra nascitur quemadmodum et illud de scientia Patris natum est. Patet ergo, quod talis notitia simplex, qua formaliter mens intelligit, non complete dicitur verbum, sed pro tanto potest dici, quia de ea potest esse verbum.

Unde, *XIV*,²³ dicitur, sed quomodo est Verbum quod nondum in cogitationis visione formatum est? Et quomodo erit simile scientiae divini de qua nascitur? Et respondet, ideo iam vocatur Verbum, quia potest esse Verbum. Ideo iam dignum est Verbi nomine. Item, *X*,²⁴ propterea ita dicitur illud Dei Verbum, ut Dei cogitatio non dicatur. Ergo,²⁵ non est verbum notitia existens in intellectu proprie, sed quia procedens est ab ipso, non quocumque modo, sed per actum dicendi, ita quod 'verbum' dicat, non aliquam actionem, quae est in actu emanandi, sed ipsum terminum illius actionis procedentis, in quam terminatur actus procedendi. Si ergo illa notitia, sive in Deo, sive in nobis, diceretur verbum proprie, oporteret ei adsignare actum dicendum per quem procederet, cuius actus Verbum esset terminus, et sic esset in infinitum, quod non est dare.

Est ergo sic diffiniendum Verbum. Verbum²⁶ est terminus actionis intellectualis, emanans ab intelligente secundum actum, manens in ipso intelligente, alterius declarativum. Ubi, si advertitis sunt sex conditiones, quibus simul iunctis, verbum proprie dictum ab omni alio excludit cui videtur convenire et non convenit. Nam dicitur terminus operationis intellectualis, ad differentiam termini intelligibilis, quod non est terminus

¹⁹ Augustinus, *De trinitate* lib. 7, cap. 2.

²⁰ Augustinus, *De trinitate* lib. 15, cap. 13.

²¹ Scripsit sed del. *d*

²² Augustinus, *De trinitate* lib. 15, cap. 14.

²³ Augustinus, *De trinitate* lib. 15, cap. 15.

²⁴ Augustinus, *De trinitate* lib. 15, cap. 15.

²⁵ Ergo [...] *per quem procederet*, cf. Henricus de Gandavo, *Quaestiones ordinariae* a. 40, q. 7, p. 284. (Henricus de Gandavo, *Summa (Quaestiones ordinariae)*, art. XXXV-XL, Opera omnia XXVIII, ed. by G. A. Wilson. Leuven: Leuven University Press, 1994.)

²⁶ *Verbum* [...] *intellectum simplici intelligentia*, cf. Henricus de Gandavo, *Quaestiones ordinariae* a. 40, q. 7, p. 285-286.

operationis, sed primum principium omnis intellectualis operationis. Secundo dicitur actionis intellectualis, ad differentiam actionis voluntariae, amoris procedentis, cuius actionis voluntariae Spiritus Sanctus est terminus. Tertio dicitur emanans, ad differentiam simplices notitiae, quae non emanat. Quarto dicitur ab intelligente secundum actum, ad differentiam actionis, quae est intelligere simplici notitia, quae est ab intelligente secundum habitum. Quinto dicitur manens in ipso, ad differentiam verbi vocalis, quae transit extra personam. Sexto dicitur alterius declarativum, ad differentiam cuiuscumque conceptus, quod non sit declarativus post primum intellectum simplici intelligentia, ut²⁷ si quaerem 'quid est tunica', et tu responderes tuum conceptum et diceres 'est vestis', et quia tale non est declarativum tunicae, non esset verbum eo modo, quo dixi, scilicet illius. Unde secundum Philosophum, diffinitio est notificationis causa. Unde sicut in aliis diffinitionibus, ultima differentia est completa omnium praecedentium et ea obmissa non notificat, sic est in proposito. Exemplum, si conciperem de homine, quem intelligo simplici notitia, quod esset substantia animata sensibilis rationalis, tunc est verbum, quia declarat conceptum. Sed si obmitterem ultimam, ut dicerem 'est substantia animata sensibilis', non diceretur verbum, licet sit in se quid intellectum et obiectum actus intelligendi, quia non est per se declarativum eius, quod est per se obiectum intellectus.

Est etiam sciendum, quod intellectus quilibet, tam divinus quam humanus, dupliciter²⁸ potest considerari, scilicet ut est vis cogitativa, vel ut est natura. Primo modo est quasi passivus, natus deduci in actum intelligendi per formam intelligibilis obiecti, quae in ipso intellectu est principium. Non dico elicivum, sed unum sumitur initium intelligendi cuiuslibet operationis. Et propter hoc dicit Augustinus,²⁹ quod talis notitia paritur a cognoscente et cognito. Et vocatur talis intellectus sic simplici notitia formatur³⁰ ab obiecto sub ratione veri memoria de <95vb>

qua postea nascitur Verbum declarativum tamquam scientia de scientia, secundum Augustinum, *XV De trinitate XXI*.³¹ Alioquin generaret idem se ipsum et iret se ipso de potentia ad actum, si diceretur, quod paternus intellectus esset informatus vel perfectus notitia declarativa, quae est Filius, et sic generaret suam perfectionem, quod est impossibile.

Secundo³² modo consideratur intellectus est activus, quia est in Deo ipsa intelligentia existens in actu intelligendi, simplici notitia, per obiectum suum formale, quae est sua essentia. Talis autem intellectus activus, vi sua activa, ulterius naturaliter format in se conceptum simillimum ipsi divinae essentiae intellectae simplici intelligentia, quae quidem formatio

²⁷ Ut [...] est notificationis causa, cf. Henricus de Gandavo, *Quaestiones ordinariae* a. 40, q. 7, p. 287.

²⁸ *Dupliciter [...] intellectu est principium*, cf. Henricus de Gandavo, *Quaestiones ordinariae* a. 40, q. 7, p. 276.

²⁹ Augustinus, *De trinitate* lib. 9, cap. 12.

³⁰ Vel *formatus*

³¹ Augustinus, *De trinitate* lib. 15, cap. 21.

³² *Secundo [...] in actu dicendi Verbum*, cf. Henricus de Gandavo, *Quaestiones ordinariae* a. 40, q. 7, p. 276-277.

appellatur 'dicere', [et]³³ Verbum dicitur terminus illius formationis. Et est tale Verbum declarativum illius conceptus simplicis notitiae, cuius conceptus principium elicitive est intellectiva potentia et obiectum per hoc, quod quasi informat eam ad actum intelligendi simplicis notitiae, qui necessario est quasi substratus in actu dicendi Verbum. Sic³⁴ igitur secundum iam dicta patet, quod divinus intellectus, ut cogitativa potentia est, competit ei intelligere, quae est actio essentialis intelligentiae simplicis notitiae. Ut autem est natura, competit eius actus notionalis, quae est dicere. Et est alia et alia actio, immo quasi modo opposito se habent, quia primo modo intellectus est ut passivus et obiectum ut activum in intelligendo. Sed in formatione Verbi, quae competit sibi ut natura est, prima non habita ab alio, habet se in agendo et Verbum in patiando. Et sic formare Verbum in Deo non vocatur intelligere, licet sit actus intellectus.

Quantum ad secundum,

dico, quod ad hoc, quod aliqua actio procedat ab aliqua, plura requiruntur. Nam primo requiritur forma, quae est ratio agendi, secundum Philosophum. Et agit quoniam omnis actio est a forma, nec aliquid agit nisi in quantum est actu, [quod]³⁵ per formam habet. Secundum est supponitur in quo forma existit, quia forma de se, nisi sit in habente eam, non potest agere, *I Metaphysicae*. Ratio autem huius est, quia duplex est actus formae, primus et secundus, et necessario antecedit primus secundum. Primus est quo dat existere composito, et secundus est actio ab eo procedens. Unde actus sunt suppositorum. Exemplum de forma ignis vel alicuius caliditatis, nisi sit vel in aqua, vel in (sic) in ligno, vel in ferro, non potest habere aliquam actionem. Sed quocumque supposito sibi dato et substrato, iam agit, nec refert in quo sit ut agat, liget fortius agat in dura materia quam in debili, ut patet de ferro, et pluendo, et palea, et carbone. Nec oportet addere aliam potentiam, quia forma eadem sub comparatione ad obiectum, in quod facit actum, est potentia activa, sicut illa, quae recipit in obiecto, est potentia passiva. Sed in agente per liberum arbitrium plus requiritur, scilicet scientia, quae dirigat ad agendum. Nec hoc sufficit, quia scientia de se est infinitorum. Unde non plus inclinatur ad faciendum quam ad non faciendum de se, sicut patet in me, quia scio dicere unum latinum, non tamen dico. Sed ultra requiritur voluntas, quae determinet ad alteram partem inclinando. Ideo potius ascribitur talis actio voluntati quam scientiae, licet utrumque concurrat. Unde *Psalmus*³⁶ non dixit omnia quaecumque scivit Deus fecit, sed quaecumque voluit. Unde agens creatum agit per contactum, scilicet applicando suam virtutem supra agens mediate vel immediate, quia non potest in quantamcumque distantiam. Sed agens increatum, eo quod est virtus infinita, agit per imperium suae voluntatis, nec oportet aliter applicare suam virtutem ad passum sicut agens creatum, quod requirit in quid agat, ut dicitur in *Sex Principiis*, sed solum facit volendo. Et pro illo tempore illa res accipit esse pro quo tempore voluntas vult, sicut si ego volo legere diversis temporibus

³³ Add. in marg.

³⁴ Cf. Henricus de Gandavo, *Quaestiones ordinariae* a. 40, q. 7, p. 278.

³⁵ Add. in marg.

³⁶ Ps 114:3; 134:6.

aliquas lectiones, non oportet os aperire, nec huc venire,
sed statim quod tempus illud est, in quo volebam facere, lectio
esset, si haberem virtutem infinitam sine alia voluntate nova.

<96ra>

Et sic est in Deo, quod ab aeterno habuit voluntatem faciendi omnia,
quae facit in tempore, nec umquam aliqua voluntas sibi advenit.
Ideo, fiunt in illis punctis, in quibus ab aeterno sua voluntas dictavit.

Quantum ad tertium, hiis visis, restat nunc quaestio,
utrum talis forma divina vel essentia, quae est sufficiens, intelligens
et volens de se, oporteat eam taliter existere in uno supposito
vel pluribus, ante quam talem operationem facere queat? Et dato, quod
sic essent plura, utrum oporteat illa esse plura per originem
unius ab alio?

Circa quam quaestionem sunt duae positiones. Quarum
una est talis, scilicet, quod illa essentia est talis conditoris, quod nisi existat
in tribus suppositis per originem habitis, non posset facere creaturam
existere, eo quod talis intellectus factionis(?) includit Deum ut
concupientem creabile, quod fieri non potest sine conceptione, quam volunt
esse Verbum, et voluntate qua determinat faciendum, quae Spiritus Sanctos dicitur.
Hanc autem muniunt ratione et auctoritate inter quas praeter factas
est haec una Augustinus, *XV De trinitate XI*,³⁷ qui dicit, quod in hoc est simile verbum nostrum
Verbo divini, quia potest esse verbum nostrum et non sequatur opus, sed opus
esse non potest, nisi praecedat verbum. Et sic Verbum Dei potest existere,
nulla existente creatura, sed creatura nulla potest esse, nisi per ipsum Verbum,
quo facta sunt omnia. Et quia timent de aequivocatione, dicunt quod
ipse Augustinus intelligit de Verbo, quod est Filius, quia statim prope subiungit,
quod solus Filius est Verbum, quod factum est caro, et in divinis Verbum solus Filius
dicitur. Item, idem dicit, *De symbolis*,³⁸ Deus Pater omnipotens per Verbum suum
omnia creavit. Ipse <unigenitus Filius Dei> vero nec factus est a Patre, sed per ipsum fecit omnia.
Item, dicunt, quod Sancta Scriptura hoc sentit, quando dicit,³⁹ omnia per ipsum
facta sunt. Et *Ad Hebraeos*,⁴⁰ portans omnia verbo virtutis suae, quem
constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula. Et similia
verba adducunt.

Item,⁴¹ per rationem sic arguunt, ratio agendi
est velle creaturam esse. Sed non potest velle, nisi intelligat concipiens
agenda in se ipso. Sed conceptio est a concipiente, ergo
iam habeo originem. Si non conciperet, nihil ageret.

³⁷ Augustinus, *De trinitate* lib. 15, cap. 11.

³⁸ Augustinus, *De symbolo ad catechumenos*, cap. 2; 4.

³⁹ Io 1:3.

⁴⁰ Hbr 1:2-3.

⁴¹ Add. in marg. *Item, simplex notitia et amor in Deo, quae essentialiter dicuntur, non sufficiunt ad productionem creaturarum, sed requiruntur notitia et amor concepti et procedentes, sed isti sunt personales. Ideo productio creaturarum praesupponit productionem personarum, non secundum genus causae efficientis sed formalis, quia notitia producta et amor productus sunt rationes ibi(?) in essentiali, intellectu et voluntate dispositive(?) ad productionem creaturarum, quia secundum quod accipiuntur essentialiter, pertinent ad solam speculationem, et ydeae secundum quod sunt in tali sapientiae, sunt solum speculativae. Sapientia autem genita non solum est declarata eorum, quae sunt in Deo et extra Deum, sed etiam productiva(?) eorum, quae sunt extra.*

Item,⁴² Deus
non agit ut faber exterius, sed intelligendo interius, imperando,
quid esse congruat, et iubendo ut in actum exeat. Hae autem
operationes praesupponunt personas.

Sed si haec positio adtendatur
profundius et diligentius, nec videtur esse ad propositum, et quod
plus est, nec sana in fide.

Non est primo ad propositum, quoniam quaestio
non quaerit, utrum contingat vero intellectu intelligere illa supposita
sic agere, quoniam nullus fidelis de eius negativa dubitat,
cum vero intellectu non intelligatur aliquid, nisi intelligatur
res sicut est. Sed quaerit, utrum posito, per impossibile, quod non est in veritate,
scilicet, quod in Deo non sit productio Verbi ypostatici, possit intelligi
ab eo esse creatura.

Hoc autem negare non videtur etiam sanum in
fide, quia si Deus eo quod intelligendo et cognoscendo producit, necessario
generat Verbum, ergo non genera<n>s Verbum, non potest aliquid producere.
Sed Filius et Spiritus Sanctus non generant Verbum, nec generare possunt, ergo
nec creare. Exemplum, sicut aliquis non potest esse risibilis, nisi eo quod est
homo, ergo, quod non potest esse homo, non potest esse risibile. Nec valet
quis fugere dicendo quod Filius et Spiritus Sanctus bene producunt, sed non sine
Verbo, quia per hoc 'sine Verbo' aut intelligis concomitantiam, sicut
quando dico 'corpus Christi est in altari, sed non sine quantitate vel anima',
et sic redit eadem quaestio. Aut per illud 'sine' importantur aliqua causalitas,
et tunc sequitur, quod Spiritum Sanctum sit Verbum causa operandi et intelligendi
aliter quam essendi, quod falsum est. Non enim causa effectiva est causa agendi
suo facto, quia non est eius causa plus Verbum quam Pater cum
ab eis procedat, ut sunt unum in primate(?) voluntatis, et non
Verbi vel intellectus. Unde Verbum est sapientia, Spiritus Sanctus est sapiens
<96rb>

sapientia genita, quod non est verum secundum Augustinum. Item, si dicit causalitatem
aliquam, quando dicitur 'Pater non creat sine Verbo', tunc de necessitate sequitur,
quod Pater recipiat aliquam perfectionem causalitatis a Verbo, quod est in
fide non sanum.

Item, non minus Deus Pater producendo Filium cognoscat,
quam producendo creaturas. Non enim potest dici, quod Deus Pater producat
Verbum non cognoscendo se et Verbum. Ergo, secundum istorum rationem, si Deus non
producit aliquid cognoscens, nisi producendo Verbum, ergo non producit Filium
nisi ante producendo Verbum, et sic est processus in infinitum.

Item,
planum est secundum omnes, quod idem est principum, et ratio cognoscendi, et agendi,
et essendi. Ergo, si Patri Verbum est ratio cognoscendi, ergo et essendi. Quod

⁴² Cf. Roger Martson, *De emanatione aeterna* q. V, p. 101. (*Quaestiones disputatae de emanatione aeterna de statu naturae lapsae et de anima*. Bibliotheca Franciscana Scholastica medii aevi, 7. Florence, 1932.)

non est intelligibile, quod Filius det esse Patri, sed potius e converso.

Item,

quando Pater producit Spiritum Sanctum, non producit non concipiens. Ergo oportet, quod Filius sit Patri ratio agendi Spiritus Sanctus, quod falsum est, cum ipse sit producens Spiritum Sanctum omnino sicut Pater.

Item, si Pater non habet cognitionem, nisi suo Verbo genito, ergo est sapiens et cognoscens sapientia et notitia genita, quod est contra Augustinum. Et quod plus est, cum sua cognitio sit suum esse, suum esse est genitum, et sic Pater est genitus, quod implicat contradictionem.

Quantum ad quartum, dicunt alii, et ut credo sanius et melius, scilicet, quod sicut dictum est, ad hoc quod aliquis possit intelligi agere, non plus requiritur, nisi forma et habens formam, nec refert in quocumque supposito sit illa forma. Talis autem forma est essentia deitatis, summe sapiens, et intelligens, et volens. Ideo in quocumque supposito ponatur, non plus requiritur ad agendum, quia inest sibi per suam formam omnis actus essentialis, sicut inest ysoceli⁴³ habere tres per formam trianguli. Nam sic esse non contentum(?) continet omne esse, sic ille actus continet omnem actum. Probatum est autem supra, quod intelligere simplici notitia inest essentiae sicut actus et perfectio essentialis. Quae quidem notitia requiritur ad hoc, quod artifex cognoscat opus, quod debet et vult facere. Et quia omnia haec insunt sibi in quantum deitas, omnia potest tale suppositum habens hanc deitatem. Quod autem sit in pluribus, respectu huius operationis est per accidens. Sicut dico, quod Filius possit producere Spiritum Sanctum, accidit quod sit ab alio, quia non producit in quantum est ab alio, immo in quantum a nullo per viam et modum anterioris(?) et voluntatis, licet sit ab alio per viam intellectus. Unde est penitus unum cum Patre in quantum ipse Filius producit Spiritum Sanctum. Exemplum, si acciperem unum discum(?) album, dico, quod quantum ad hanc actionem, quae est disgregare, non plus facit, quod talis discus(?) sit in uno pede quam in tribus.

Quod autem ista sit veritas, quam ponit ista positio, probo satis efficaciter facta triplici ypotesi, omnibus clara et posita a Philosopho. Et prima est, quod quando aliquid inest alicui per se, omnibus aliis quibus illud inest, per primum adhuc inerit. Secunda est, quod quando aliqua passio inest pluribus suppositis, oportet quod insit uni illorum primo et per se. Tertia est, quod quando aliqua plura habent propria<m> passionem, oportet, quod insit per aliquid commune repertum in eis.

Nunc autem ex prima sic arguo, creare secundum omnes inest tribus suppositis. Ergo oportet, quod insit per se alicui. Ergo, illo remanente solo, hadut(?) inest per se. Ergo, cum in una persona salvetur divina essentia, cui per se inest

⁴³ Scripsit sed del. *b*

creare sicut in tribus, per se poterit quod poterat quando pluribus inerat.
Alioquin Pater reciperet existere a suis productis, quod non est intelligibile,
quia productio praesupponit esse.

Item, ex secunda arguo

sic, creare inest tribus suppositis divinis. Ergo, non potest inesse
omnibus per se et primo, sed oportet quod insit uni per se tantum. Ergo, aliis
non intellectis inerit, quod inerat omnibus per ipsum.

Item, ex tertia

arguo sic, posse creare inest pluribus. Ergo, per aliquid commune repertum
in eis. Sed nihil est eis commune personale, quia illa sunt incommunicabilia.
<96va>

Ergo, sola essentia est communis. Ergo, illa salvata inest posse facere,
quod inerat omnibus.

Item, omnis causa prima potest suum effectum

sine secunda, nisi in hiis, quae sunt formaliter. Ergo, si Pater potest producere
creaturam effective mediante Filio, ergo potest per se sine eo, id est, eo non
intellecto.

Item, in omni genere est dare aliquod primum ad quod reducuntur
omnia in illo genere. Sed genus productorum est aliquod genus,
ergo oportet venire ad aliquod primum. Sed non sufficit stare in tribus
suppositis, immo ultra oportet devenire ad primum, quod in sua actione
non dependeat ab aliquo posteriorum.

Item, omne per accidens

reducitur ad per se. Sed hoc est per accidens 'Deus generat', et hoc est per se
'Deus creat'. Probatio, illa propositio est per se, quando praedicatum inest subiecto cum
reduplicatione formae, et 'homo est rationalis inquantum homo', et
sic est haec 'Deus creare potest inquantum Deus'. Illa autem non est per se, sed
per accidens, quae est falsa cum reduplicatione formae subiecti. Talis autem
est ista 'Deus generat inquantum Deus'. Ergo, oportet reducere hanc 'Deus generat'
ad hanc 'Deus creat' sicut ad suam per se.

Item, quando unum non dependet

ab alio in sua operatione, potest eam exequi non intellecto illo.
Sed talis est Pater, ergo etc.

Item, Pater ei modo, quo praeconcepit, producit.

Sed se ipso praeconcepit absque alterius adminiculo, ergo etc.

Item,

omnis perfectio, quae est in productis, est in producente altiori modo, secundum Dionysium.
Alioquin non posset illud producere. Ergo, cum creare sit perfectio absoluta,
oportet, quod sit complete in producente, ita perfecte et plusquam in productis.
Ergo, quod potest cum illis, potest absque illis intellectis.

Item,

nihil est ponendum in divinis, quod derogat eius perfectioni, nec aliquid subtrahendum. Sed si per relationem nihil acquiritur Patri, per eius privationem non est aliquid subtrahendum. Ergo, non est ei subtrahenda perfectio aliqua absoluta, qualis est creare posse.

Item, in Deo non est nisi substantia et relatio. Sed per relationem nihil potest agere, eo quod relatio nec principium, nec terminus alicuius actionis potest esse, ut scribitur, *V Physicorum*. Ergo, oportet quod agat per substantiam. Sed nullus effectus praesupponit, nisi causam suam. Ergo, effectus creationis non praesupponit nisi divinam essentiam.

Item, quando aliquae ita se habent, quod unum non includitur in intellectu alterius, complete possunt intelligi seorsum. Sed sic est in proposito, quia exterior emanatio non includitur in interiori, quod planum est. Nec e converso, quia tunc esset communior et maioris ambitus exterior quam interior, quod falsum est, quia oporteret, quod ad destructionem eius sequeretur destructio minoris ambitus, quod totum est falsum.

Item, circumscripto proprio, non circumscribitur commune. Sed commune est creare, proprium generare, ergo etc. Minor patet, quia destructa omni proprietate, intelligitur remanere Deus intelligens, volens, et potens. Unde non est potens emanatione, nec sapiens, nec volens, ut supra fuit dictum. Unde non est sapiens, quia producit, sed e converso, quia sapiens et potens, ideo producit personam. Nam tales origines supponunt perfectiones, non constituunt. Patet ergo, quod potentia operativa creaturarum non est Verbum divinum, quo Pater vel tota trinitas eliciat actum creationis sive producendi aliquid extra aut agendi, quoniam potentia haec est id quo Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unum principium immediatum creaturarum, non ut distincti sunt, sed penitus indistincti, et ut est quid essenziale, in quo unum sunt ipsae tres personae sub quadam indistinctione, quale non est Verbum declarativum, quod dicitur Filius, qui est solus Verbum personale, vel notionale, sed est sola natura divina, existens indistincta, non ut Patris determinate, vel alicuius alterius, sed ut nullam habens distinctionem, propter quod dicitur unus creator.

Hiis igitur sic visis, restat videre ultimum, scilicet responsiones ad argumenta in contrarium adducta.

Ad primum, ergo dicendum, quod minor est falsa quando dicit, quod essentia non potest perfecte existere, nisi in tribus, quoniam differt dicere 'hoc stat cum isto, nec repugnat' et 'hoc non potest esse <96vb> sine isto respectu huius effectus'. Sicut patet de oculo in animali, qui optime stat cum animali, sed respectu animalis operationis non requiritur, ut patet in talpa carente oculis. Et sic est in proposito, quia Deus optime existit in tribus suppositis, unde non repugnat simplicitati divinae unitatis esse in tribus. Sed respectu creationis non exigitur, nisi quod sit in uno.

Ad secundum, cum dicitur, quod quando aliqua potentia ordinatur etc. Dico, quod verum est, sed non sequitur, quod si potentia divina intellectiva attingit primum intelligibile, ut puta se ipsum, quod propter hoc attingat ipsum sub ratione quacumque, ut puta originativa, quia illud non est quid, sed ad aliquid. Nec attingendo illud format Verbum notionale, sed simplicem notitiam obiecti causabilis in suis ydeis.

Ad tertium, dicendum, quod illud unum primum in quolibet genere entium, non est univocum, sed analogum per adtributionem, sicut patet de igne. Unde non sequitur, quod si intelligo caliditatem piperis vel vini, quod intelligam caliditatem ignis, nec eam includit, sed potius e conversio, quia illud unum continet omnia posteriora. Ideo, si intelligo primum, intelligo omnia alia, sicut patet de Deo. Vel dicendum, quod illud unum est ipse Deus, a quo procedit actus intellectionis essentialis, non notionalis, quae dicitur Verbum. Alioquin ad hoc non staretur in primo, quia ad hoc est ultra procedere, scilicet ad notitiam ex qua procedit Verbum, qui est sapientia de sapientia, secundum Augustinum.

Ad quartum, dicendum, quod verum est, quod sicut opera hominis nulla sunt, nisi corde concipiantur, sic opera Dei nulla essent, nisi ea prae intelligeret. Sed ex hoc non habetur, quod talis prae intellectio sit personalis, sed est essentialis, qua intelligit omnia obiecta factibilia.

Ad quintum, dicendum, quod indivisa sunt opera trinitatis, quoniam quicquid operatur unum supponitur et reliquum. Sed propter hoc non habetur, quod unum non posset facere, non intellecto alio. Sicut patet, si consecremus unam hostiam vel ecclesiam, omnes simul facimus uniformiter. Tamen si unus solus esset episcopus, idem faceret.

Ad sextum, dicendum, quod cum dicitur relativa sunt simul⁴⁴ natura, concedo. Sed Deus, ut est causa efficiens, et finalis, et exemplaris, est causa et causatum est creatura. Sed nullo modo est causa, ut trinus in persona.

Ad septimum, dicendum, quod maior vera est, sed minor est falsa. Nam Filius non est ratio agendi, sed ydea, qua cognoscit ydeata omnia facta et factibilia. Nec obstat, quod dicitur, quod per ipsum facta sunt omnia, quia hoc verum in quantum est unum cum Patre, et non ut distinctus, quia ego et Pater unum sumus,⁴⁵ et Pater meus operatur usque modo et ego operor,⁴⁶ ut ipse dicit. Nec potest Filius facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.⁴⁷

Ad octavum, dicendum, quod ut iam dictum, Filius non dicitur ars proprie, ita quod Pater per eum agat, quia hoc est falsum. Sed dicitur ars appropriate, nam etiam Spiritus Sanctus dicitur omnium artifex, omnem habens scientiam, etc.

Ad nonum,

⁴⁴ Scripsit sed del. *nec*

⁴⁵ Io 10:30.

⁴⁶ Io 5:17.

⁴⁷ Io 5:19.

dicendum similiter, quod Filius non est magis splendor quam ipse Pater. Nam ita cognoscit Pater per suum splendorem, sicut per Filium, immo per prius. Sed pro tanto dicitur splendor ipse Filius, quia est, ut dixi, Verbum declarativum, sed secundum quod tale non est ratio agendi.

Ad decimum,

dicendum, quod creaturae procedunt a Deo per voluntatem, cuius voluntatis perfectio est amor. Sed ille non est notionalis, sed est essentialis, sicut dicit Augustinus,⁴⁸ quia Deus bonus est, ideo sumus.

Ad undecimum, dicendum, quod si tam in maiori quam in minori accipiatur operatio naturae et voluntatis uniformiter, tunc est verum, sed quia fit variatio ibi medii, ideo non valet. Nam in uno accipitur pro actu notionali, et in alio pro actu essentiali. Semper enim, si accipiantur aequaliter, scilicet vel tantum essentialiter vel tantum notionaliter, operatio intellectus antecedit operationem voluntatis.

Ad duodecimum, dicendum, quod Deus non habet se aliter nunc quam prius potuit⁴⁹ se habere. Alioquin, sicut arguebatur, moventur quantum ad perfectionem intrinsecam. Sed non arguit de extrinseca. Nam prius non referebatur, nisi in habitu, modo referetur in actu propter mutationem factam in suo correlativo.

Ad tertium decimum,

dicendum, quod conceptus ille, quem Deus habet de rebus faciendis, est sua ydea apprehensa, quae dicitur notitia simplex, quia omnia cognoscit, quae est sua essentia de se. Non tamen refert, quod non possit dicere <97ra> relationem prout comparatur ad res, sicut dicitur creator.

Ad quartum decimum, dicendum,

quod Deus intelligit unum et plura. Quando autem Philosophus dicit, quod non intelligit nisi⁵⁰ unum, verum est, quia non est nisi unum medium cognoscendi, quod non differt a se, quae est sua essentia. Et per hoc probat, si aliter fieret, quod eius intellectus vilesceret et mutaretur. Ad illud, quod dicitur ulterius, quod illud unum est Filius, dicendum, quod verum est, quod est Filius, et Pater et Spiritus Sanctus, et hii tria unum sunt.

Ad quintum decimum, cum dicitur, quod una est potentia trium. Ergo cum Pater vel alius operatur, operatur potentia communi, ergo quilibet operatur, cui est communis illa potentia.⁵¹ Dico, quod verum est, sed non sequitur, quod per illam potentiam sint personae distinctae, immo potius, quod sunt unitae, quia in quantum habent unam potentiam sunt unum. Alioquin in quantum sunt distincti, nihil habent commune.

⁴⁸ Augustinus, *De doctrina christiana* lib. 1, cap. 32.

⁴⁹ Vel *potuerit*

⁵⁰ Scripsit sed del. *illud*

⁵¹ Scripsit sed del. *u*

Ad ultimum, dicendum, quod relationes non causant nec causantur, sed consequuntur. Unde divinae relationes non sunt causa alicuius relationis creaturae,⁵² sed potius divina essentia est causa omnium eorum, quae sunt, secundum Dionysium. Unde minor fuit falsa.

Ad auctoritates allegatas,

pro prima opinione in corpore quaestionis, dicendum, quod ita est vera hoc, Patri et Filius operatur per Spiritum Sanctum, sicut e converso. Unde non competit Filio ratione suae emanationis, sed ratione suae essentiae. Sed pro tanto potest dici, quia beatus Ioannes volens nobis reddere Filium, de quo agit in magnam reverentiam sicut Deum, loquitur(?) de eo sicut de Deo. Et vere competit sibi, sed non plus quam Spiritui Sancto. Nec ipse negat de Spiritu Sancto, immo de ipso dicitur, quod disponit omnia suaviter. Et *Psalmus*,⁵³ Verbo Domini celi firmati sunt et spiritus oris eius omnis virtus eorum.

Ad rationes, dicendum, quod bene arguit, quod oportet, quod agens prius intelligat, sed non quod illud sit intelligere personale, sed essenziale, ut dictum fuit, quia non emanat ut terminus actionis simplicis notitiae vel intelligentiae, sed ut actio prima ab agente, qua intelligit formaliter. Filius autem non est illud, quo Pater intelligit formaliter, sed quo declarat se intelligere. Sicut flos est illud, quo arbor declarat se florere, qui est terminus floriditatis. Et hoc dicta sint ad praesens de ista quaestione.

⁵² Vel *causatae*

⁵³ Ps 33:6.